



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Qua ratione Franciscus Victoria, & alij recentiores incomprehensibilitatem
Dei adstruant. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

lucet, cernere vique fortasse queant, si non profusus, at certe plenus, quam nos, & solidus, atque alijs, pro cuiusque ordine, vel vberius, vel parcius, sed de hac re hic sit finis. Hæc Nazian.

23 Verum cum paulo inferius de eadem comprehensione palam fateatur, esse in primum hominis seruatum, ut proxime notauimus, non est credendum, hic voluisse eam beatis Angelis negare: ergo debet intelligi sub dubio locutus, ut verba indicant: cum de Angelis ait, cernere posse plenius, quam nos Deum; non tamen comprehendere. Eo quod videatur dubitare, vtrum ab eis etiam clare videatur, an non: tamen nihil asseueret, sed statim disputationem relinquat. Ipsum vero alibi sensisse Deum à Beatis clare videri, ostendimus disp. 37. cap. 2. Porro ex illamet orat. nu. 19. id plane colligitur, cum ait comprehensionem nobis in aliam vitam referuari: ergo ut ostenderet num. 10. magnam difficultatem ex parte nostri intellectus in hac vita ad comprehendendum Deum, etiam de Angelis videntibus ipsum, aliquo modo dubitauit.

Irenæi textus explicatur. Secundo allegari solet Irenæus lib. 4. cap. 6. in principio, ubi docet, Deum esse incomprehensibilem, sed cum ibi ipse loquatur contra eos, qui dicebant propria nostra virtute à nobis Deum comprehendere, ut ex textu manifeste patet, nihil inde probari potest. Id quod præsertim ex ijs, quæ dicit cap. 37. colligitur, ait enim: Et qui vident Deum, intra Deum sunt, percipientes eius claritatem: Et infra, Et propter hoc incapabilis visibilis se, & comprehensibilis, & capax hominibus præstat. Cum igitur id quod cap. 37. negauerat, ita plane concedere videatur cap. 37. scilicet Deum esse incomprehensibilem; manifestum est non loqui, de eodem intellectu, & eodem modo, sed de viatoribus contra Anomæos in 36. de Beatis vero in 37. per comprehensionem in vtroque intelligens claritatem Dei visionem, sicut est.

24 Tertio semum citatur Damas. lib. 1. de fide cap. 1. & 4. ubi dicit, Deum esse incomprehensibilem, nec vlla ratione explicari posse, & cum idem dicat de ipso, si cum intellectu Seraphinorum & Cherubinorum comparatur, videtur etiam loqui de videntibus Deum, sicut est, ac proinde comprehensionem à visione clara Dei distinguere, & in hunc sensum accipit verba illius Chelchouæ ibidem, securus rationem Scholasticorum in explicanda natura comprehensionis.

Damaseni testimonium. Verum tamen ego existimo Damascenum non aliter, quam ceteros Patres locutum, ut nomine comprehensionis intelligat claritatem Dei visionem: ideoque appellet Deum incomprehensibilem omnimodo, non tantum hominibus, sed etiam Angelis: quia Angelum naturam suam quacunque via ipsum videre non possunt. Subdit enim, à nullo eorum Deum comprehendere posse, nisi cui ipse se voluerit revelare: at secundum Scholasticorum sententiam neque voluntate sua potest Deus se ipsum revelare beatis comprehendendum, potest tamen se videndum ostendere: ergo nomine comprehensionis intellexit Damas. visionem claritatem, sicut ceteri Patres intellexerunt.

25 Ex quibus omnibus perspicue patet, non solum ex Patribus certum non esse, quod aduersarij asserunt, scilicet Deum à beatis non comprehendere, sed etiam ex aliquibus secundum ipsorum phrasim oppositum posse colligi: ac proinde, ne communem Scholasticorum sententiam, qui negant

Deum à Beatis comprehendere, deferamus, oportebit ipsos Patres ita interpretari, ut nomine comprehensionis claritatem Dei notitiam intellexerint: nam cum ea Deus totus in se videatur, nec quidquam illius lateat, non inepte à Patribus visio Dei clara, comprehensio est nuncupata, iam igitur cum Scholasticis questionem de ipsa re aggrediamur & quare Deus etiam beatis prædictis lumine gloriæ incomprehensibilis merito dicatur, explicemus.

DISPUTATIO LIII.

An Deus sicut clarè videri, sic etiam comprehendere à creatura possit.

Qua ratione Franciscus Victoria & alij recentiores incomprehensibilitatem Dei adstruant. cap. 1.

Quo pacto S. Thomas & alij Scholastici incomprehensibilitatem Dei explicent. cap. 2.

Sententia Okami, & Nominalium circa idem. c. 3.

Facilior explicatio incomprehensibilitatis. cap. 4.

CAPVT I.

Qua ratione Franciscus Victoria, & alij recentiores incomprehensibilitatem Dei adstruant.

Scholastici omnes vno ore affirmant, Deum ita incomprehensibilem esse, ut nulla ipsius clara visione ab vlla creatura quantumuis lumine supernaturali eleuata possit comprehendere. Sic tradunt Alex. 1. p. q. 7. memb. 1. S. Thom. in hoc artic. 7. & 3. p. q. 10. art. 1. & 2. & Caiet. & recentiores Thomistæ ibid. S. Thom. Bonau. in 3. d. 14. art. 1. q. 2. Richardus art. 1. q. 4. Durand. q. 1. num. 10. Palud. q. 1. in fine ad quoddam argum. Gab. q. vnica art. 3. dub. 2. Almai. q. vnica non longe à fine Scotus in 4. d. 49. q. 1. §. Ad primum argumentum, in solutione secundæ probationis argumenti. Mai. ibidem q. 15. Scotus q. 3. art. 1. Okam. in 4. q. 12. art. 1. neque vllus est, quod ego sciam, qui oppositum doceat, nisi Nominales allegati accepta comprehensione primo modo ex quinque, quos ipsi assignant, ut cap. 3. videbimus, nam accepta comprehensione vno ex alijs quatuor modis plane dicant, Deum non comprehendere, propterea cum apud Scholasticos constans non sit, quid sit de ratione comprehensionis, non debet vnusquisque putare modum comprehensionis, quem ipse defendit, certissimum esse, atque in eo sensu voluisse Scripturam & Patres docere, Deum esse incomprehensibilem beatis: quisque enim suo modo explicat incomprehensibilitatem Dei: imo Scriptura, & Patres, aliquando visionem claritatem Dei comprehensionem appellant.

Omnes igitur Scholasticos communis vrget difficultas, si vera sunt quæ ex August. & alijs Patribus de definitione comprehensionis præmissimus cap. 1. disp. præcedunt, comprehendere cognitionem rem aliquam, nihil aliud esse, quam aliquid illius non latere; sed totum, quod ipsa est, cognosci, & videri. Cum enim qui videt, ita clare Deum totum, quod in ipso est, intueatur, ut disp. 1. huius art. probatum est: sequi videtur, aut Deum à beatis comprehendere, aut naturam comprehensionis alio modo definiendam esse. Hac igitur difficultate Scholastici oppressi, vnde Dei incomprehensibilitatem defendunt, atque in eius defensione non parum difficilia docent, ut inde coniectari liceat, non esse rem adeo apertam, ut de fide ab Ecclesia sit definita: ergo referemus varios modos defendendi, & explicandi sententiam communem.

Communis Scholasticorum placitum. Alex. 1. p. q. 7. memb. 1. S. Thom. in hoc artic. 7. & 3. p. q. 10. art. 1. & 2. & Caiet. & recentiores Thomistæ ibid. S. Thom. Bonau. in 3. d. 14. art. 1. q. 2. Richardus art. 1. q. 4. Durand. q. 1. num. 10. Palud. q. 1. in fine ad quoddam argum. Gab. q. vnica art. 3. dub. 2. Almai. q. vnica non longe à fine Scotus in 4. d. 49. q. 1. §. Ad primum argumentum, in solutione secundæ probationis argumenti. Mai. ibidem q. 15. Scotus q. 3. art. 1. Okam. in 4. q. 12. art. 1. neque vllus est, quod ego sciam, qui oppositum doceat, nisi Nominales allegati accepta comprehensione primo modo ex quinque, quos ipsi assignant, ut cap. 3. videbimus, nam accepta comprehensione vno ex alijs quatuor modis plane dicant, Deum non comprehendere, propterea cum apud Scholasticos constans non sit, quid sit de ratione comprehensionis, non debet vnusquisque putare modum comprehensionis, quem ipse defendit, certissimum esse, atque in eo sensu voluisse Scripturam & Patres docere, Deum esse incomprehensibilem beatis: quisque enim suo modo explicat incomprehensibilitatem Dei: imo Scriptura, & Patres, aliquando visionem claritatem Dei comprehensionem appellant.

August.

Patres nominantur comprehensionis claritatem Dei nominantur signati.

Modus ex-
plicandi Dei
incompre-
hensibilita-
tem.
Victoria.
2

munem, & postremo loco nostram subijciemus.

Primus modus sit quorundam Theologorum nostri temporis, (quem fuisse quoque Franciscus Victorie testantur ipsi) asserendum ideo non comprehendere Deum à beatissimis, etiam si clare ipsum videant: quia licet Beatus clare intueatur essentiam Dei & personas omniaque ipsius attributa; non tamen videt eam secundum omnem intentionis gradum: quo circa aliquid Dei latet ipsum, nec omnem gradum perfectionis eius numerare potest: quod si hæc omnia cognosceret procul dubio (inquunt) Deum comprehenderet. Ex qua doctrina duo alia inferunt: vnum est, quo plus beatus aliquis penetrat videndo essentiam Dei, & gradus perfectionis, eo plures videt in eo creaturas: alterum est, quia nulla potest esse infinita visio Dei creata, non potest quis infinitam intensionem attributorum, neque infinitas in Deo creaturas videre.

Omnino est
improbabilis.

Hæc sententia, omnium quidem iudicio, nihil habet probabilis: ex ea enim duo absurda sequuntur: alterum est, non solum miraculose, sed vi etiam ordinaria, & communi, posse videri essentiam Dei, non visis personis: imò vnum attributum sine alio. Nam si in eodem attributo latet aliquid, & aliquid videtur, multo magis, visa essentia, latere potest persona, & viso vno attributo non videri aliud. Neque enim minus differt vnum attributum ab alio, aut persona ab essentia, quam vnus gradus eiusdem attributi ab alio, si fas est gradus intentionis in diuinis attributis excogitare: at neque Scotus concedit, sine miraculo posse essentiam videri sine personis, vt disp. 40. vidimus: ergo nullus concedit, sine miraculo videri posse vnum gradum attributi sine alio. Quocirca dicere debemus, de facto attributa secundum omnem intensionem plene à beatissimis videri: frustra enim dicemus miraculum fieri, ne à beatissimis Deus comprehenderetur. Porro sicut disp. illa 40. probatum est, non posse nec de potentia absoluta Dei videri essentiam sine personis, propter luminam eius identitatem cum illis, & qualibet illarum, atque eadem ratione nec vnum attributum sine alio, ob eandem etiam dicendum est, non posse aliquid vnius attributi latere, si aliquid illius videatur.

Secundum
absurdum.

Alterum, quod sequitur, est, Deum non videri, si aliquid ipsius latet. Deus enim est tota sapientia, non aliquid illius, vt vbi non est tota sapientia, non est Deus, ergo si non tota videtur, non videtur Deus. Quare vero qui plus videt Deum, plures creaturas in Deo videt, in nostra sententia nihil habet difficultatis: cum enim dicamus, ex vi visionis essentiae nihil creatum cognosci, sed peculiari reuelatione, hoc etiam pacto dicendum est, plures in Deo creaturas cognosci. Quod si ex vi visionis essentiae viderentur, saltem hac via tutum non esset, sententiam illam defendere. Quamuis autem alia vitæ difficultate non careant; ex illis tamen non sequuntur manifesta absurda contra fidem, sicut ex hac: quare nec hac ratione incomprehensibilitas Dei explicari, & defendi debet.

CAP. V. II.

Quo pacto S. Thomas, & alij Scholastici incomprehensibilitatem Dei explicant.

S. Thom.

Alij Scholastici inferius allegandi cum S. Th. in art. 7. huius questionis difficultatem hanc

alia ratione explicare conantur. Dicunt itaque hoc modo, vt res aliqua comprehendatur, non satis est videre quicquid in ea est; sed etiam omni modo, quo ex se postulat cognosci, hac enim ratione solum cognitio potest esse adæquata obiecto cognito, ac proinde ipsum intra se comprehendere. Non dicunt, rem esse cognoscendam meliori modo, quo potest: sic enim formica ab Angelo inferiori non comprehenderetur, cum meliori modo posset à Deo, & ab aliquo Angelo superiori cognosci, sed necessarium esse rem cognosci tam perfecta cognitione, quam ipsa ex se postulat, hoc est, vt cognitio in se sit tantæ perfectionis in genere cognitionis, quantæ est obiectum in genere cognoscibilis: quare cum Deus ex se infinitus sit, ideoque postulet infinite cognosci nulla cognitio erit ipsi adæquata, nisi infinita sit, qualis est ea, quam Deus de seipso habet, ergo hac solum comprehenditur.

Ratio hæc (vt dixi) est S. Thom. in hoc art. 7. & fere omnium Thomistarum; eam videtur sequutus Bonaventura in 3. d. 1. art. 1. q. 2. aperte tamen Richardus art. 1. q. 4. Scotus q. 1. §. Ad primum argumentum, in solutione secunda probationis argumenti 1. Durandus, q. 1. n. 10. Maior in 4. q. 1. §. Scotus q. 3. a. 1. Quocirca in horum Doctorem sententia vt Deus ab intellectu creato visus comprehenderetur non satis esset visio infinita secundum intensionem, hæc n. adhuc non esset infinitati Dei adæquata, ac proinde sola ipsa cognitio Dei, quæ est infinita secundum esse, sicut ipsamet essentia, comprehensio illius dicitur. Hanc vero rationem colligunt primum ex verbis Augustini 12. de ciuitate c. 18. Quicquid scientia (inquirit) comprehenditur, scientis comprehensione finitur. Ergo cum deus non possit creata aliqua cognitione finiri, quia nulla cognitio se potest ei adæquare sequitur, nulla creata visione posse comprehendere. Deinde probari posset testimonio Greg. lib. 18. moral. cap. 28. circa finem cuius verba recitauimus supra disp. præced. cap. 2.

Quod si incomprehensibilitas hoc modo usurparetur, de fide plane esset, deum à beatissimis posse comprehendere. Ceterum vt fatear mei ingenij tarditatem, hic modus explicandi incomprehensibilitatem Dei difficilis mihi videtur, dum definitionem traditam ab Augustino considero. Comprehendere enim rem aliquam, omnibus in locis vbi ab Aug. & alijs Patribus definitur, vt vidimus c. 1. disp. præced. nihil aliud est, quam totum quod est in re aliqua ita cognitione complecti, vt nihil illius vere lateat, sed appareat, sicuti est, nam quoties res non cognoscitur proprio, & (vt aiunt) intuitiuo conceptu, semper latet aliquid illius, imò id, quod est, non videtur.

Hæc vero definitio optime probatur ex comprehensione corporea, vnde ad spiritualia nomen *Comprehensio* translatum est, inter corpora enim vnum alio comprehenditur, quando latera superficiei conuexæ vnus intra latera concauæ alterius continentur; & hac ratione contentum contenti finitur, & ambo inuicem æquantur, quare quoties vis, sphaera intra manum, vel intra aliam ita continetur, vt nihil illius non contineatur, comprehenditur ab ea dicitur. Perinde autem comparatur spiritualiter representatio cognitionis cum re cognita, sicut superficies concaua corporis continentis cum conuexa contenti; ergo sicut superficies continens secundum extensionem æquantur

vt res rem
prehendatur,
non debet
e gressu me-
iori modo,
quo possit.

S. Thom.
Bonauent.
Richardus.
Durandus.
Maior.
Scotus.

Ratio ex
Augustino.

Quid sit in
hac opinione
difficile.

Quia sit ra-
tio com-
prehensionis, &
vnde sumat-
ur.